Mr. Broeckx

HISTORICA DE

# VARIOLARUM CURATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE III. M. IUNII A. MDCCCXL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**Georgius Guilelmus Wiegand**

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

J. KLINGEBIEL, MED. ET CHIR. DR.

O. SACHSE, MED. ET CHIR. DR.

A. EHRHARDT, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

1840

VIRO

PRAENOBILISSIMO, GENEROSISSIMO

**FRIDERICO A STEINDEL,**

PRAEFECTO SUPERIORI EXERCITUS BORUSSICI,

COGNATO SUO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

Vir in arte medica praestantissimus dixit (1): »quod si in ullo unquam morbo constet, quid praestet methodus bona, quid mala noceat, id constat in variolis.« Si historiam hujus morbi a prima invasione in Europam, quae sub finem saeculi sexti p. Chr. n. accidit, ad nostra usque tempora persequimur, illa sententia quam vera sit, abunde, ut mihi videtur, intelligemus. Duas enim variolis medendi rationes sibi prorsus oppositas a medicis commendatas esse certiores reddimur, quarum altera pessima atque infaustissima, Deo maximo agamus gratias, nunc obsoleta, altera bona atque saluberrima adhuc in usu est. Prior illa a Rhazes, sub finem saeculi

(1) De Haen, Theses sistentes febrium divisiones, p. 102.

noni, ut videtur, primo Arabum medico, qui variolas accuratius descripsit, temere in lucem evocata atque ab imperitis monachis et medicastris diu exercitata est, posterior haec viris egregiis, praecipue Sydenhamo, originem debet. Quamdiu prava illa in usu erat, inter magnam morborum, qui genus humanum infestant, turbam, nullus sine dubio morbus atrocior fuit, nullus voracior, peste ipsa non excepta, quam variolarum epidemiae. Tunc enim pauci tantum hosti huic irruenti sese subripuerunt, et plerique ab eo correpti, cum infantes, tum aetate provectiores, in gravissimum vitae periculum inciderunt maximamque partem occubuerunt mortem. Simulac autem altera ac melior in usum venit, saevities variolarum subito refraenata est mitiorque earum evasit decursus, ita ut multo pauciores e medio tollerentur. Qui malae illi methodo operam navarunt, sudoribus noxiis exanthemata extrudere forasque expellere sibi proposuerant; qui autem meliori usi sunt ac nunc utuntur, sagacius inflammationem, quae nunquam deest, frigore diminuere student.

Sed quomodo illa methodus obsoleta nocuerit, haec usitata prosit, nonnullis observationibus et exemplis ex historia allatis demonstrare nostrum est.

Priusquam autem ad hanc indagationem animum advertamus, pauca quaedam de regionibus, in quibus variolae sint ortae, praemittere a scopo nostro haud alienum esse videtur.

Plurimos morbos epidemicos eosque summopere malignos in regionibus tropicis exordia cepisse eosque maxima quidem ex parte ab illis terris ad occidentales processisse, jam antiquissimis temporibus notum atque observatum fuisse, ex plurium scriptorum libris, qui adhuc supersunt, clare elucet. Praeterea nunc inter omnes constat, morbos quoscunque, quo propius ab aequatore oriantur, propter aërem exhalationibus noxiis repletum eo vehementius saevire eoque brevioribus redire intervallis; qui quidem morbi, procul ab aequatore geniti, multo benigniores decurrunt atque post longius temporis spatium populos denuo invadunt. Pestem e. g. tantum in Aegypto et terris calidis homines maximo cum furore aggredi ibique velocius redire, in terris autem borealibus, quamquam semper teterrimam, tamen ad tantum malignitatis gradum vel nunquam vel rarissime accessisse, nisi rebus infaustissimis interconcurrentibus, quis est, qui nesciat? Imo negari non potest, vel morbos, qui in Europa tantum singulares

et sporadici occurrunt, in regionibus tropicis saepissime indolem epidemicam adsciscere; quod quidem de hydrophobia in India occidentali est observatum. Secundum alios autem autores alii morbi, qui apud nos minime vel tantum rarissime contagiosi fiunt, illuc contagione propagari dicuntur, id quod de phthisi pulmonali asseritur. Pluribus autem observationibus fortasse illustrari poterit, multos morbos contagiosos eo in loco, quo orti sint, plerumque saevissima praeditos esse indole. Scarlatina (1) e. g. Vratislaviae MDCXXV. orta ibi maxime perniciosa permultos et infantes et adultos e medio sustulit, in terris australibus rarissime tantum apparuit; si autem in Europam australem invasit, semper sporadicam ac mitissimam naturam prae se tulit. Quae si omnia animo perpendimus, nonne ex analogia merito conjicere licebit, variolas quoque in patria sua multo majori saevitia populos adgressuras esse, quam in Europa? Sed mirandum est, hoc in morbo rem aliter ac vice versa sese habere eumque in Europa malignitatem obtinuisse extremam; cujus rei causam nec in constitutione atmosphaerica, neque alia in conditione, sed in

---

(1) Hecker, Geschichte der neueren Heilkunde p. 234 u. 39.

solis medicis esse collocandam, ex infra dictis elucebit. Verba igitur de Haenii, quamquam valent de febri miliari, tamen ad hunc morbum aptissime referenda mihi videntur: »Est, si velis, inquit, malignitas, sed talis, quam non morbus, non natura, sed ars produxit; abfutura prorsus, si ars defuisset producendi.«

Sed quomodo sese habent variolae in India? Quem decursum tenent? Qua ratione medendi mitigantur? Talia interrogantibus haec respondemus:

John Zephaniah Hollwell, Anglus, cui linguis indicis bene imbuto accuratissimas recentissimasque circa variolas in India grassantes indagationes, petitas ex fontibus ipsis et ex Indorum antiquitatibus, debemus, eas, ni semper, tamen solito more per spatium septenorum annorum saevire observavit semperque anni tempestate calidiori, qua in Europa quoque vehementissimae esse solent. Tunc quidem concedendum est, eas multis rebus perniciosis faventibus, praecipue ardore furente, sicut omnes alios morbos, saepe natura maxime maligna praeditas plurimos homines adoriri eorumque magnam partem e medio tollere, saepe ex discretis in confluentes transire, nec

(1) Hecker l. c. p. 275. 127.

raro cum aliis morbis tunc grassantibus, imprimis cum inflammationibus typhosis, periculosas inire complicationes. Sed ita per breve tantummodo tempus sese habent. Nam brevi postquam apparuit tempestas pluvialis, lenior fit epidemia, nisi jam prius, ut solet, finem attigerit; per intervalla autem variolae, quum nunquam plane deficiant, multo benigniores ac raro lethales decurrere solent. Quibus quasi exacerbationibus exceptis, multo mitiori indole praeditae, quam in Europa, grassantur ac nullum paene ex iis laborantem, nisi fortuito alius morbus accesserit, exstinguunt; id quod mirum et accuratiore disquisitione dignum videtur. Quaenam sunt causae, quibus hoc efficitur? Haud dubie soli curationi simplici ac naturali per sacerdotes institutae tribuenda est haec variolarum benignitas. Summum remedium ac generale, quod illic in usum vocatur, est frigus. Sacerdotes enim imperant aegroto, quem variolae invaserunt, ut e lectulo surgat, domum relinquat, sub dio moretur et ab omni cibo et potu sanguinem excitante abstineat. Maximi autem apud eos existimatum semperque imperatum est, ut aeger per diem pluries in flumen aut immergatur, aut totum corpus aqua frigida superfundatur. Tali modo curatas variolas omnes

cum febri leni, nec raro sine ullis febris signis, decurrere videmus.

Eadem methodo variolas curandi Nigrates in Africa post hominum memoriam usque ad nostrum saeculum cum successu utuntur.

Huc accedit, quod apud Indos insitio jam ab antiquissimis temporibus sancta habita semperque felicissimo cum eventu est administrata. Quamquam hanc operationem prophylacticam medici Europaei saeculi praeteriti laudarunt atque promulgare studuerunt, tamen eo successu, quo Indi, non gavisi sunt. Id quod Illustr. Hecker testante sine dubio accidisse videtur ea de causa, quod Europaei ab illorum praescriptis aptissimis gravissimisque imprudenter recesserant. Insitio enim illic hoc modo fit: qui variolas sibi inseri cupiunt, per quatuor septimanas ab omnibus nutrimentis calidis abstineant necesse est, a quo praecepto, religionis legibus sancto, ne minimum quidem deflectere licet. Quo praeparationis tempore elapso, sacerdotes insitionem exercent, neque lympha recenti, neque lympha variolarum naturalium, etiamsi mitissimum tenuerint decursum, utentes; quae quidem ultima ratio a medicis Europaeis non satis pensitata esse videtur. Cum insitio ita peracta sit, eandem, quam

antea, rationem vivendi aegrotus continuare debet, ita ut aqua frigida et ad bibendum et ad superfundendum diligenter utatur. Qua curatione efficitur, ut vel nemo, vel paucissimi mortem occumbant.

Eadem ratione eodemque cum successu apud Nigrates in Africa insitio jam dudum administratur.

Sic illi populi jam longum tempus a. Ch. n. saevitiem variolarum optima simplicissimaque methodo refrenarunt.

Si autem ad decursum et curationem variolarum in Europa grassantium animum advertimus, quantopere discrepant, quae nobis occurrunt, phaenomena! Mos erat omnes aegrotantes a principio quorumcunque morborum calidissimo et haud renovato aëre includendi, quo venenum ex opinione medicorum et vulgi per sudores a corde foras pelleretur. Remediis a lexipharmacis, bezoardicis, cardiacis, aegri crudeliter vexabantur. Quis est, qui non intelligat, tali modo pessime de iis actum fuisse eorumque maximam partem sola medicastrorum culpa diem supremum obiisse? At medici non modo non accusabantur, verum potius celebrabantur, si aegros petechiis ac miliaribus maculatos morti tradiderant (1). Tanti a

(1) De Haene, Theses.

vulgo existimata est methodus calidissima! Internis autem remediis insaluberrimis non contenti similia externa medici ad illorum efficaciam augendam adjungere solebant, inter quae primum tenuerunt locum neque unquam omissa sunt balnea vaporosa, calida, emplastra irritantia, cataplasmata rubefacientia, inunctiones excitantes, frictiones, fonticuli, setacea, quae omnia haec eo animo sunt adhibita, ut virus e corpore extruderetur. Quae quidem omnia remedia, nulla naturae morbi ratione habita, promiscue et imprudenter in usum vocabantur. Quis ergo mirabitur variolas pessime tractatas tam atrociter in Europa saeviisse? Summopere autem illud mirandum est, quod medici hanc methodum saeculo decimo octavo, multis aliis melioribusque promulgatis observationibus, laudaverint atque adhibuerint. Qua de re audiamus de Haen (1) acerbe disputantem: »Nostrates medici mox calidam admodum atmosphaeram aegris conciliant, calida alexipharmaca et bezoardica porrigunt et intra lecti cortinas strugulaque artificiose sepeliunt. Moris quondam erat, ut ad primam suspicionem malignitatis fratres misericordiae advocarentur, qui apta secum

---

(1) Theses.

involucra afferrent loris adducenda fibulisque; quibus profecto ita includerent aegros, ut nec movere se illi, nec aëra externum ad ullam corporis possent admittere plagam.« Ac tam communia saeculo superiore erant medicamenta calida, ut idem exclamaret: vellentne igitnr methodum tunc tantummodo condemnandam fore, quando occiderit universos?

Variis autem causis hac perversa curatione variolas mortem induxisse autores asserunt. Nascebantur enim aut inflammationes internae, ut pneumonia, pleuritis, phrenitis, aut variolae ex discretis in confluentes mutatae, petechiis et miliaribus supervenientibus, lethales reddebantur. Qui autem variolis ipsis ad orcum non rapiebantur, earum reliquiis non minus periculosis vexabantur iisque tandem succumbebant. Quos inter morbos graviores variolas calidis medicamentis tractatas saepe sequentes referri imprimis merentur phthisis, asthma, tumores glandularum, abscessus, ulcera, caries ossium, febres lentae et hecticae, apoplexia, paralysis, varia oculorum vitia, ut ophthalmia, epiphora, pterygium; quo demum foveae, cicatrices, maculae rubicundae et qualiacunque vestigia, cutim diversimode deturpantia, jure meritoque pertinent.

Insitio, quam Europaei ab Indis (a. 1721.) et Turcomannis (a. 1711.) cognoverant atque imitari studebant, exiguum tantummodo usum tulit neque exspectationibus, quas fovebant, satisfecit. Qui enim ex variolis insitis laborabant, paene tanto vitae periculo premebantur, quanto variolis genuinis correpti. Imo periculum insitione non modo non amotum, sed potius auctum esse, quia contagium cum omnibus corporibus sine ulla exceptione communicandum fuit, ex medicorum sententiis diversis de utilitate insitionis elucet. Multi enim viri, imo eorum praestantissimi, ut de Haen, hanc operationem noxiam ac prorsus rejiciendam censuerunt. Quo autem modo fieri potuit, ut insitio, apud Indos tam salutaris, celebrata ac sancta habita, in Europa alium effectum et plane fere contrarium ostenderet? Nulla alia de causa, quam quod Indorum praescriptis, ut jam supra commemoravimus, neglectis, medici sententiarum praejudicatarum laqueis irretiti cum insitione methodum sudoriferam conjungendam esse putarunt. Tunc demum, quum Sutton, Dimsdale aliique damna regiminis calidioris demonstrassent, ac refrigerantia commendassent, insitio magis celebrata et recepta majori fuit emolumento.

Jam vero, curatione perniciosa, quae per longum tempus in usu fuit, commemorata, restat, ut nonnullorum virorum mentionem faciamus, qui primi methodum calidam repudiarunt atque aliam variolis medendi rationem eamque meliorem commendarunt. Prae ceteris Sydenhamus, qui hic nominetur, dignissimus est. Naturam enim morborum accuratius perscrutatus, ut in omnibus febribus exanthematicis, sic praecipue in variolis, sanguinis effervescentiam atque inflammationem adesse evidenter demonstrat, quae diminuatur necesse est, omnemque malignitatem medicamentis et regimini calidis, utut ab ignaris medicastris in usum vocantur, solis tribuit (1). Sed utcunque verae ejus doctrinae sunt ac graves, tamen a vulgo medicorum tanti semper existimabantur funesta illa praejudicia, ex quibus aegros medicamentis calidissimis in quocunque morbo cruciabant, ut Sydenhami observationes mox despicerentur.

Usum autem aquae frigidae in plurimis febribus exanthematicis, si Indorum ratione externe adhibetur, inter omnes primi Hahnii, pater et filius, medici Silesii, multis casibus allatis, luce clarius osten-

---

(1) Praxis medica, Sect. III. Cap. II.

derunt. J. G. Hahn (1) narrat, quum, epidemia admodum maligna grassante, omnibus medicamentis solitis frustra usus sit, et suam ipsius et aliorum vitam tantummodo eo servasse, quod totum corpus in aquam frigidam immerserit eaque saepe abluerit; quae quidem epidemia contagiosa ex descriptione febris maculosa fuisse videtur, in qua seriori tempore Reuss (2) eandem methodum felicissimo cum successu adhibuit.

Maximus vero defensor atque gravissimus aquae frigidae in morbis exanthematicis adhibendae inter Germanos J. S. Hahn nominandus est, cui accuratissimas de ejus effectu observationes debemus; quippe qui magnam utilitatem plurimis exemplis tam claris, ut nemo adhuc dubitationibus teneri possit, illustraverit. Quum enim in variolis inflammationem cutis adesse intellexisset, a consueta medendi ratione decessit omnemque successum tantummodo a frigore exspectandum esse censuit. Ac si ejus observationes intuemur, nonne ratio, qua in adhibenda aqua frigida usus est, maxime videtur probanda atque imitanda? Nonne potius mirari debemus, tam multos adversa-

(1) Epidemia verna, quae Vratislaviam anno 1737 afflixit.
(2) Reuss, Wesen der Exantheme.

rios prodiisse, ut Hahnii (1) mortui doctrina per longum tempus oblivioni traderetur? Sententia enim ejus haec est: aquam frigidam tunc potissimum dimiuere inflammationem, si super totum aegroti corpus copiose et per diem pluries infundatur. Quis negare potest, aquam frigidam potenter coercere putredinem et diathesin sanguinis phlogisticam? Frigus enim quam efficax sit, praecipue ad arcendas variolas, ex eo jam liquet, quod variolae, observante jam Sydenhamo, media hieme, dum summum est frigus, fere extinguuntur, tum vero saevire iterum incipiunt, cum frigus mitescere coeperit. Id quod etiam Rhazes (2) jam dudum animadverterat, qui haec habet: »Quoad tempora seu anni tempestates, in quibus solent oriri variolae, haec sunt varia; sed praecipue extrema pars autumni et veris principium et quando per aestatem pluviae intensae et crebrae sunt, et venti australes perflant plurimi et continui et denique quando hiems calida est et ventis australibus perflata.« Praeterea hodie constat, quo magis insitionem

---

(1) Unterricht von Kraft und Wirkung des frischen Wassers in die Leiber der Menschen, besonders der Kranken, bei dessen innerlichem und äusserlichem Gebrauche aus deutlichen durch die Erfahrung bestätigten Vernunftgründen.

(2) Rhazes, Comment. de variol. et morb.

experti aurae liberae frigidaeque fuerint expositi, eo melius de iis actum eoque paucioribus correptos fuisse variolis. Imo nunc scimus, eos difficilius naturali via infici, qui maximam diei partem in aëre libero degant. Quanto igitur majori vi frigidae superfusiones ardorem, qui adest, opprimere debent!

Quamquam autem Hahnius egregia de meliori curatione variolarum merita sibi jure peperit, frigidaque aqua semper optimo cum successu usus est, tamen hanc experientiam ad leges generales reduxisse non videtur, ex quibus ii agere possint, qui eum fortasse sequuturi sint. Negari enim non potest, balnea frigida in morbis jam antiquissimis temporibus ab Hippocrate, Galeno, Celso laudata esse atque adhibita; sed quoniam id remedium tunc sine certa indicatione, nec raro perverse in usum vocatum saepe damnum inferre debuit, factum est, ut posteriori tempore prorsus rejiceretur ac frigus propter id condemnaretur, quod medicis erat imputandum.

Recentiori autem tempore Currie (1), medicus Anglicus, Hahnii observationibus neglectis ac paene

---

(1) Anton Froelich, Abhandlung über die kräftige, sichere und schnelle Wirkung der Uebergiessungen und Bäder von kaltem oder lauwarmem Wasser.

oblivioni traditis, quum medici semper ad methodum sudoriferam redirent, de utilitate aquae frigidae in morbis exanthematicis experimenta diligentissima instituere incepit ac clarius ostendere studuit, in quibus casibus hoc remedium utile sit, in quibus noxium; cujus sententiis mox praestantissimi viri causis gravibus permoti suffragabantur. Prae ceteris calorem aegrotantium thermometri auxilio explorandum esse censet, ut frigus calori certo respondeat; quo enim major sit calor, eo majori frigoris gradu utamur necesse esse perhibet. Si autem in stadio horroris seu algoris, vel apud aegrotum magna debilitate captum adhibetur, frigus nocet. Suadet auctor porro, ut aegrotus subito superfundatur ac toties, quoties ardor redeat, summum effectum perturbationi animi ac sensuum repentinae tribuendum esse demonstrans. Qua curatione vehementia febris semper feliciter temperatur mitioremque ac velociorem absolvit decursum. Sed etiam major utilitas existit! Si enim superfusiones frigidae mature adhibentur, morbus, qui modo nascitur, subito extingui potest, ac sine periculo quidem, ita ut pustulae variolarum ad eruptionem non pertingant; facultas morbi, si perfecte evolutus est, contagio se propagandi, pror-

sus avertitur. Imo eos, qui epidemia variolarum grassante nondum correpti superfusionibus diligenter utantur, a morbo tuto manere, **Reuss** observavit.

Quoniam effectus aquae frigidae alius est, si statim ab initio aut sub finem morbi adhibetur, interrogari potest, quibus praecipue morbi periodis maximo cum eventu eam in usum evocare possimus. In quibuscunque fere stadiis eam haud dubie usum ferre, ab **Hahnio**, **Currie** (1), **Reuss**, **Froelich** aliisque docemur. Quamdiu aegroti deliriis, doloribus capitis magnaque inquietudine vexantur, vires eorum nondum debilitatae sunt, cutis calida est et sicca, maxima aqua frigida affertur utilitas, ac morbus velociter extinguitur. Serioribus autem in stadiis quum contagium totum organismum corripuerit, majusque imperium sibi vindicaverit, tam magnum et velox auxilium exspectari non posse apparet.

Quo autem modo efficitur, ut variolae tali curatione mitiores reddantur? Quamquam autores de indole variolarum propria dissentiunt, et alii eam in

---

(1) Dr. James Currie, Beobachtungen und Versuche über die Wirkungen des kalten und warmen Wassers, als eines Heilmittels in Fiebern und andern Krankheiten; aus dem Englischen übersetzt von Dr. Michaelis.

excitatione vasorum et nervorum specifica simul cum eruptione propria pustularum in cute effecta, alii in inflammatione sola cutis specifica contagione specifica producta collocandam esse censent et alii alia cogitant, tamen id quidem evidenter elucet, statum inflammatorium majoremque in corpore actionem nunquam deficere posse. Summus autem effectus frigoris is est, ut hae perturbationes mitigentur, calor temperetur, vasorumque actio nimis magna coerceatur et opprimatur.

Permulti putarunt atque hucusque putant, exanthemata superfusionibus frigidis adhibitis ad interna organa majore dignitate retrocedere ac periculum sic augeri; quapropter hanc methodum rejiciendam esse censent. Sed rem ita sese non habere, clarissimi viri observarunt. Scimus enim non solum exanthematis, verum potius naturae febris in variolarum curatione instituenda rationem habendam esse. Si febris lenis est, pustulae quoque leviter erumpunt; quo vehementior febris est, quo major ardor, quo aridior cutis, eo difficilius exanthema apparet, eoque majori periculo aeger premitur. Calore autem aqua frigida temperato, cutis humida redditur, sudores lenes evocantur, deliria et dolores capitis

opprimuntur; quo in statu exanthema levissime ac sine ullo periculo erumpit, sed non retrocedit. Id quod Reuss aliique non solum in variolis, verum etiam in morbillis, scarlatina, et febri maculosa saepissime observarunt.

# VITA.

Ego Georgius Guilelmus Wiegand, Graefenstuhli, pago in Saxonia provincia prope Mansfeld oppidum sito, natus sum die vigesimo mensis Aprilis anni millesimi octingentesimi decimi sexti, patre Rudolpho, oeconomo, matre Maria, e gente Kobiana, quos parentes Dei gratia adhuc inter vivos veneror. Fidem confiteor evangelicam. E pueris postquam excessi tredecim annos natus, Gymnasium adii Islebiense, quod Directore nunc Beato Siebdrat florebat, ubi per quinque annos optimarum artium studio me dedi. Ab anno MDCCCXXXIV. gymnasium Quedlinburgense, quod tunc sub auspiciis Directoris Cel. Ranke florebat, frequentavi.

Examine ibi rite absoluto et maturitatis testimonio ornatus, anno MDCCCXXXV. almam literarum universitatem Halensem, medicinae operam daturus petii, ubi ab Ill. Eiselen, fasces tunc Academiae tenente, inter civium academicorum numerum receptus, ab Ill. Friedlaender, t. t. medicorum ordinis Decano maxime spectabili, medicinae studiosis sum adscriptus. Hae sunt praelectiones, quibus per quatuor annos interfui:

## Philosophicae:

Psychologia, logice et aesthetice apud Ill. Hinrichs; zoologia et helminthologia apud Beat. Nitzsch; chemia experimentalis et physice apud Ill. Schweigger; botanice generalis et officinalis apud Ill. a Schlechtendal; mineralogia apud Ill. Germar.

## Medicae:

Encyclopaedia et methodologia apud Ill.

Friedlaender; anatomia, physiologia et histologia apud Ill. d'Alton, idemque in cadaveribus secandis et in anatomia comparata dux mihi fuit; pharmacologia et ars formulas medicas concinnandi apud Ill. Friedlaender; pathologia et therapia tam generalis quam specialis apud Ill. Krukenberg; chirurgia generalis et specialis, doctrina de fasciis applicandis aeque ac praecepta operationum chirurgicarum earumque exercitationes in cadavere apud Ill. Blasius. In exercitationibus practicis duces mihi fuere, in clinico medico Ill. Krukenberg; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Blasius. Anno MDCCCXXXIX. hanc almam musarum sedem adii atque a Rectore magnifico Twesten civibus academicis adscriptus, ab Ill. Hecker, medicorum ordinis Decano maxime Spectabili, in facultatis album relatus sum, ibique per semestre scholis clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis virorum Ill. de Graefe et Kranichfeld interfui. Ill. Hecker

de medicinae historia et Cel. **Romberg** de morbis nervorum docentes audivi.

Quibus viris omnibus pie colendis maximeque de me meritis gratias agere quas possum maximas valde me juvat.

Jam vero tentaminibus tam philosophico, quam medico atque examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

# THESES.

1. In multis febribus exanthematicis frigus est summum remedium.
2. In morbis syphiliticis hydrargyrum est rejiciendum.
3. Luce externa ad cernendum non opus est.
4. Medicamenta specifica omnino extant.
5. Menstruatio non haemorrhagia, sed secretio.
6. Non omnes morbi sanari debent.